



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 75. Pontificis consilia de bello sacro adversus Turcas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. hanc gratiam Christianis impertirentur,  
A. C. 1500. ac decimas a Clero, ipsisque Cardinalibus pro Venetorum auxilio contra Turcas indictas colligerent, atque a Judæis etiam subsidia in eandem expeditionem peterent.

## §. LXXV.

*Pontificis consilia de bello sacro adversus Turcas.*

*Burch. ib. 2.  
 p. 83.  
 Raynald. l. c.  
 n. 2. & 5.*

Quantumvis ingens fuerit Pontificis studium, quo Principes ad inendam armorum societatem adversus Turcas adhortabatur, nihilominus illius verba parum eorum animos commovisse videbantur; adeo enim universæ Christianorum Reipublicæ cognita erat Alexandri indoles, ut ægre quis sibi persuaderet, illum puro tuendæ Religionis studio, ac divini honoris vindicandi amore stimulum rem urgere. Suspicebantur alii, hanc Cruciatam indici, ut ultroneis tam Principum, quam populi suppetiis pecuniæ cumularentur. Ceterum Pontifex feria quarta die undecima Martii hujus anni cunctos Oratores Romæ degentes in sacrum Senatum convocabat, in quo discrimen fidei Christianæ imminens exposuit, dixitque, se jam mense Octobri anni prioris ad Reges, & Principes Christianos literas dedisse, ac rogasse,



se, ut tam pio operi adjutrices manus porrigerent. His propositis Oratorum nonnemo respondit, quod pacanda prius essent Christianorum Principum dissidia, ac demum composita stabili, ac solida inter eos pace ad reprimendos Turcarum progressus opera impendi posset: his subiunxit alius, quod hoc bellum nonnisi privatam Venetorum causam respiceret, & Papa arma sollicitaret, ut Venetis placeret. Alexander, hæc responsa quid portenderent, facile mente sua assequebatur, cumque ceteri Principes Pontificiis legatis, qui ad eos decernebantur, vix non eadem respondissent, belli sacri consilia evanuerunt.

## §. LXXVI.

*Sententia Facultatis Theologicæ a  
Canonicis Ecclesiæ B. V. ob  
Papæ censuras ro-  
gata.*

Præterea Pontifex hujus belli obtentu edictum publicabat, quo Ecclesiæ Gallicanæ Clericis, iis prius inconsultis, decimas imponebat, mox vero adversus hanc Papæ Constitutionem Universitas Parisiensis ad futurum Concilium provocabat: Cum autem Alexander fretus esset præsidio Cardinalis de Ambasia,

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXI.*

X plu-